PROPITIO JESU

De

ADHÆSIONE TOGATA SEU JUDICIARIA,

DISPUTATIONEM

PERMITTENTE AC CONSENTIENTE

Nobilissimo JCTORUM Ordine Francovadano

PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO NOBILISSIMO ac CONSULTISSIMO

Dn. JOHANNE BRUNNEMANNO,

JCto. Serenissimi ac Potentissimi Electoris Brandeburgici Consiliario, Decretal. Prof. Publ. Facultatis Juridicæ Ordinario & h. t. DECANO.

Dn. Patrono, Fautore ac Promotore summè colendo

PRO

LICENTIA DOCTORALI,

IN AUDITORIO JURIDICO

horis ante & pomeridianis,


Die 8. Octobr.

Publico sistit Examini

JOHANN GOTTFRIED STüZING,

Hall. Saxo.

Prelo FRIDRICI Eichorns. 1668.



Cap. I.

Adhæsionis Judiciariæ Definiti onem nominalem exhibebit.

§. I.

Sine Lite Adhæsionem fieri non posse neminem in dubium vocaturum crediderim, est enim lis causa Adhæsionis sine quâ non, dum citra litem nemo litiganti adsistere, ejusque partes vel adsistendo vel defendendo tenere possit; Id quod non solum in privatis negotiis obtinere stylus & observantia judiciorum demonstrat, sed latius etiam serpsisse, atq; in statu Politico inter liberos populos ac reges sedem sibi fixam composuisse vetustiorum temporum, modernorumque comprobat historia. Et hæc posterior Adhæsio in specie Militaris, seu Confœderatio appellatur, quæ ipsa quoq; litem seu Gverram non minus ac Togata prærequirit, non distinguendo, utrum bellum metuatur tantummodo, an vero misso jam Tubicine denunciatum, vel reverà mediantibus irruptionibus, Latrociniis, incendiis ac internecionibus illatum fuerit, *Johann. Bodin. lib. 5. de Republ. cap. 6. ibi. Tria sunt genera*.

Sed

Sed quoniam ab hâc in præsentiarum Institutum nostrum deflectit atque abhorret, ideoque ad Politicos & Juris Publici Conditores B. L. remittimus, Togatam nostram Adhæsionem in sequentibus sub anatomen revocaturi.

§. 2. Quo igitur in hujus thematis cognitionem facilior & felicior detur descensus, rem faciemus, si Pragmatologiæ præmittamus Onomatologiam. Præitore enim *JCto Ulpiano in l.1.ff. de Reb. Cred.* verborum significatio præcedere debet Rei, seu ipsius Materiæ explicationem, cùm nominis appellatione ipsa quoque res significetur, *l.4.ff. de Verb. signif.* nec rem satis intelligere qui verba prius non cognoverit elogium est *Georg. Obrecht. de J. Feud. lib. 1. cap. 4. n.3.* eò, quod turpe judicetur, prius velle terminare, quàm terminum intelligere. Communissimus autem Philosophorum calculus est, rationem Onomatologiæ consistere in tribus: Etymologiâ Homonymia & Synonymiâ.

§. 3. Etymologiam quod attinet, natales suos adhæsio repetit à præpositione AD. quæ, ut semper, ita hic quoque loci gaudet significatione aggregativâ seu conjunctivâ, & verbo HÆREO, qvod modò significat arctè alicui conjunctum esse, quam significationem amplexus est *Virg. lib. 2. Æneid.*

---- *Scalæ parietibus hærent,*

modò ponitur pro dubitare seu ancipitem esse, Qui enim in aliquâ re dubitant, non moventur, sed in utrâque parte æquâ quasi lance hærere ac suspensi esse videntur, hinc *Cic. in Anton.* hærebat nebulo, quò se verteret non habebat.

§. 4. Diversimodè vocabulum Adhæsionis acci-

accipitur: PRIMò enim latiſſimè comprehendit actum vel naturalem, quo ſenſu Fratres vel conſanguinei naturali Conſortio ſibi adhærent. *l.3.ff.de J.& J.l.1. 2.& 3.ff.de lib.cauſ. Jacob. de S.Georg.in Tr. Feud. verb: de Adhærentibus.n.1.* vel Corporalem quando ſc: una res alteri quàm arctiſſimè conjuncta & quaſi adfixa eſt, & hoc modo rurſum accipitur vel de actu corporali in ſpecie ſic dicto, ut in illo *Cic.in Verrem.* Tela Viſceribus tuis adhærebunt, vel de actu Corporali ex intellectu juris tali quando ſc: fundo inſtructo omnia inſtrumenta ruſtica cohærere, quamvis ibi non ſint, dicuntur, ut eſt in *t.t.ff. de Inſtructo vel Inſtrum. Legat.*

§. 5. DEINDE Latè, quando non quidem inſpicitur conjunctio rerum ſeu corporum, ſed illa animorum conſpiratio & mutuo conſenſu in unum quaſi facta coitio in quâcunque re ſeu Negotio non ſolùm honeſto, ſed etiam Turpi. Sic. *Lactant. lib.5.* Quibus poſtea ejectis omnes qui ſanati fuerint adhærent Religioni, cujus potentiam ſenſerint, &c. & hoc ſenſu Judas fuit adhærens inimicis Chriſti, quia tradidit JEſum Chriſtum. *Angel. Conſ. 257. n.5. verſ. his non obſtantibus.* & hanc ſignificationem verbi *Adhærere* accommodavit quoque PAPA CLEMENS III. ad illicitam conſuetudinem, quam Mœchus cum Mœchâ aliquamdiu habuit *in cap 5. ibi. cum eâdem etiam, primâ vivente quaſi matrimonialiter Mœchæ Mœchus adhærere præſumpſit. X. de eô, qui dux. in Matrim. quam poll. per adult.* cùm & alias Vir uxori ſuæ adhærere dicitur *in c.1. cauſ.35. qu.10.*

§. 6. TERTIò ſtrictè & propriè adhærentes & ſequaces alicujus illi dicuntur, qui intentioni &

operibus alterius in quacunque causa honestâ sive judiciali sive extrajudiciali, inde etiam Militari ratione concurrentis interesse adsistunt atque adhærent, eum potissimum in finem, ut cum principali agente vel defendente in causâ vel victores existant, vel succumbant. *Angel. cit. loc. Bl. lib. 5. Cons. 491. inf.* Denique QVARTÒ strictissimè adhæsio prædicatur de solis illis, qui in judicio contendentibus ob interesse commune quâ assistendo quà defendendo accedunt. Quæ postrema significatio quoque hujus tantum est loci.

§. 7. Synonymia hic non adeò larga suppetit, Adhæsioni tamen æquivalens est ADHÆRENTIA. *Jacob. de S. Georg in Tr. Feud. verb. Adhærentibus. n. 4. item.* Item *ADHÆSUS.* ut est apud *Livium lib 3 ibi. nam neque pulveris interdum sentimus adhæsum.* item. CONJUNCTIO & COPULATIO. *Cic. lib. 1. de Finib.* ibi. *& Copulationes & Adhæsiones inter se.* it. ATTINENTIA. CONFOEDERATIO. SOCIETAS. Adhærens quoque vocatur TERTIUS OPPOSITOR qui seipsum causæ Exanimi opponit & offert vel ad prosequendum vel ad defendendum, *c. 38. X. de Test. & attestat. Didat. Covar. Pract. Concl. 13. per tot. &* Adhærentes SEQVACES. *L. inter claras. 8. C. de summ. Trinit. l. un. §. si autem ingenuam C. de rapt. Virg. junct. l. 3. verb. adhærentibus. C. de discussor. lib. 10. tit. 30.* AGGREGATI & UNITI passim vocantur. Græce dicitur Adhæsio προσκόλλησις, προσκόλλημα. Germ. Anhangung/ lige, Verbindnüß zu thun.

§. 8. Hoc modo enodato Adhæsionis vocabulo dispiciendum videbatur de Reliquis adhæsioni adjectis vocabulis. TOGATA nim: seu JUDICIARIA: Sed quoniam illa vocabula in usu loquendfami-

familiariter, usurpantur, & planiora sunt quàm ut ullâ explicatione indigeant, icicrco non hærebimus recto ordine properaturi ad

Cap. II.

Definitionem Realem ejusque explicationem proponens;

§. I.

COgnitam Onomatologiam excipit Pragmatologia. Definitur autem vel potius describitur Adhæsio, quòd sit Actus judiciarius, quô in eôdem judicio & quacunque ejus parte alterutri Litigantium Tertius quidam, vel ipsi litigantes sibi invicem ratione sui interesse in causa communi eâque controversâ ipso facto adsistunt, ad hoc, ut in parem Conditionem reponantur, idemque jus, quod is cui adstiterunt latâ sententiâ vel condemnatoriâ vel absolutoriâ nactus est, consequantur.

§. 2. In Explicatione hujus Descriptionis notanda sunt varia: INITIO enim adhibui vocab. ACTUS & loco generis posui, Ubi sciendum, vocabulum ACTUS latissimè patere, ut omnia, quæ quovis modo aguntur, suo ambitu complecti dicatur. *l.3. §.1. ff. de Obl. & Act. l.8. C. de Fer. l.77. ff. de Reg. Jur. junct. l.19. ff. de V. Signif. Dn. Struv. Syntagm. Jur. univers.*

Exercit.40.th.2. Ludvv. Exercit. ad Instit. Justin.6.th.7 lit. D. agere enim est quodlibet humanum factum expedire, sive id fiat operando sive consilio & facto ipso, sive volutando seu impellendo, sive consentiendo, & quolibet alio modo, & Actus non est ipsa res, non ipsa verba quibus quid geritur & contrahitur, sed hoc ipsum factum, quô res & negotia fiunt, quo verba proferuntur, quo consentiunt vel dissentiunt contrahentes, eleganter id ipsum deducente *Johan. Gœd. in Comment. ad l.19. n.8. & 9. ff. d. V.S.*

§. 3. Cum vero citra ullius contradictionem in aprico sit, Adhæsionem quoque unum ex illis esse negotiis, quæ variè perficiuntur, quæque actu interposito in communi causâ, dissentiente & renitente quantumvis illo cui fit adhæsio, Adhærentem lucri damnique, quod principali ex sententiâ latâ obvenit, reddit participem, Visum est non potuisse ullum aliud generis loco convenientius adhiberi, quàm vocabulum Actus; idque vel maximè ideò, quoniam de Adhæsione propriè, Naturaliter, atque immediatè dicitur & prædicatur seu affirmatur.

§. 4. PROPRIè quidem, quoniam in nativâ significatione Actus dicitur, quando verbis vel re quid agitur, *l.19. ff. de verb. sign. ibique Dd.* licet quandoque impropriè denotet tùm servitutem, *pr. Instit, de servit. præd.* tùm dispensationem seu Administrationem pecuniæ, ut *in l. 40. §.3. ibi Stichus servus meus actor si rationem omnem actus sui heredi meo reddiderit, &c. ff. de statulib.* à quibus tamen significationibus nostra Tractatio discedit. NATURALITER deinde prædicatur, quia actus & adhæsio se habent tanquam superius & inferius, Per rerum naturam enim semper ita comparatum

tum eſt, ut ſuperius prædicetur de inferiori h. m. *Omnis Adhæſio eſt actus*: Abſurda ex adverſo, falſa & contra naturam eſſet hæc prædicatio; *Omnis actus eſt Adhæſio.* idque inde, quia & numeratio & ſtipulatio, *l. 19. ff. de V. S.* Legitimatio. *Dn. Strauch. in Diſſert. ad Jus Juſtinianeum privatum 4. aphor. 1.* Adoptio. *Zaſ. in comm. ff. de adopt. n. 1.* & Donatio. *Fomann. Diſp. ad Inſtit. 13. th. 1. lit. A. Hahn innot. ad VVeſemb. tit. de Donat. n. 2. verb. ut ſit contractus, &c.* nec non alia, vocabulum act9 pro genere expoſcūt. IMMEDIATè deniq; de Adhæſione prædicatur Actus, quia inter Adhæſionem & Actum nullum intercedit medium, dum enim alterutri partiū adſiſto, ejusq; jus vel proſequor vel defendo, nihil ago aliud, quàm ut in eandem, quâ is eſt, cui adhæreo, conditionem, inque jus idem reponar: Quapropter adhærens ejusdem etiam intentionis, cujus is eſt, cui adhæſio ſit, eſſe affirmatur. *c. 2. de Sentent. & Rejudic. in 6to. Jacob. de S. Georg. in Tr. Feud. verb. Adhærentibus n. 5.*

§. 5. Cum igitur vocab. *Actus* tàm latè & in infinitum propè pateat, uti modo deductum, ideoque placuit adjicere vocab. JUDICIARIUS, ut hoc ipſo latitudinem ipſius *Actus* reſtringerem ac mitigarem, atque ab aliis actibus humanis, qui extrajudicialiter expediuntur, & non rarò omni juris effectu deſtituuntur, ſegregarem.

§. 6. Dixi ulterius; *in eodem judicio*: Adhæſio enim non niſi in cauſam, quæ jam inter partes agitatur ac ventilatur, incidit, ſive igitur judicio præſideat judex ordinarius ſive delegatus parum refert; idque principaliter non ſolum ea ex ratione, quòd adhæſio ſit quaſi quæſtio quædam incidens, quæ ob continentiam cauſæ à principali negotio divelli nequeat,

quam

quam rationem generaliter de interventione *ex Gail. Mindan. & Ummio* adducit *Magnif. Dn. Brunnem. in suo Tract. Jurid. de Process. cap. 13. n. 6.* cùm delegata Jurisdictione omnia accessoria & connexa delegata videantur, *l. 2. ff. de Jdict. ubi Dd. Matth. de Afflict. Decis. 227. n. 2.* Emergens autem, incidens & connexum ejusdem sit qualitatis ac naturæ cum causa Principali. *cap. prudentiam. 21. §. Sextam nobis, ibi explorati siquidem & §. si vero. fin. ibi tunc delegati. X. de offic. & potest. judic. deleg.* Sed inde potissimum, quia adhærens commune interesse habet eo cum, cui adhæret, & non principaliter litigat, sed accessorie tantum, quapropter etiam judicem agnoscere debet illum, quem principalis litigans recusare, vel ejus Jdictioni se eximere nequivit, & in summa litem in eô statu suscipere in quo fuit, cùm adhærebat, cogitur. *præcit. Magnif. Brunnem. d. l. n. 15.*

§. 7. Sed num & coram arbitris Adhærens ut litiget, cogi possit, quæstionis est? Et quidem quoad arbitrium Juris nullum residet dubium quin coram eodem litigare debeat, quoniam arbiter æquiparatur Judici. *l. f. C. de Judic. Zas. in Comm. ff. de Recept. arbitr. n. 3.* Sed quoad arbitrum Compromissarium res videbatur aliquantò plus in se difficultatis continere, cogi nempe non posse adhærentem coram non suo judice litigare, tùm propter *L. 2. §. 5. ubi Dd. ff. de Judic.* tùm etiam, quòd extra Territorium jus dicenti impunè non pareatur, *l. f. ff. de Jdict.* nec receptum sit, ut res per compromissum inter alios acta, aliis præjudicet. *l. 63. ff. de Re judic.* His tamen & similibus non obstantibus contrarium amplectendum videtur, suprà enim relatæ rationes applicari tantummodo

possunt

possunt ad Tertium, qui se ratione sui interesse utriq; agenti principaliter opponit, minus rectè vero ad eum, qui alterutri adsistit, & accessoriè tantùm ad litem accedit, prout hoc fusius deducit *Mind. de Processs. part. 3. cap. 8. n. 12. exempla inibi subjiciundo. qui videri potest.*

§. 8. Per verba in definitione posita, *& quacunque ejus parte* illud infertur, quòd non solùm antè, sed & post litis Contestationem in Principio, medio & fine litis possit fieri adhæsio. *præcitatus Brunnem, cap. 13. sui Proc. n. 10. ex traditis Gailii lib. 1. Obs. 70. n. 4. nec non Ummii & Berlich.* & in Instantiâ Appellationis. *Gail. lib. 1. Obs. 122. n. 3. &c.* ac Leuterationis *Beat. Carpzov. in suo Processs. tit. 4. art. 2. n. 25.* Quid quod etiam post Sententiam latam & post Conclusionem in causâ tertius rectè adhæreat, quamvis multo abhinc tempore motæ litis habuerit notitiam. Notitia enim & scientia litis motæ Adhærenti nihil quicquam obesse potest, quo minus adhærere in causâ & liti adsistere eo in statu, in quô est de tempore interventionis, vavaleat. Per tradita Aym. *Cravett. Consil Tom. 1. p. 1. Cons. 14. n. 5. ibidemque adduct. Br. Immo l. Innoc. & Corn.* Nam acceptare & ingredi causam potest, imò debet Adhærens eô in statu, in quo reperitur, cùm ad judicium devenit. *cap. fin. ut lit. pend. in 6to. Menoch. de Arbitrar. Jud. quæst. cas. 18. n. 2.*

§. 9. Ex quô Principio facile deciduntur quæstiones: An Adhærens possit judicem recusare? an item opus habeat Libelli Oblatione, Litisque contestatione? in negativam partem. An vero & Adhærens publicatis jamdum attestationibus, alios testes de novo producere queat, decisum itidem negativè *à Gailio Obs. lib. 1. Obs. 71. n. 14. & seqq.* memini; quia tertius nul-

lum Principale interesse censetur habere, sed idem cum alterutro litigantium quem adsistendo adjuvat; Si enim tertius quidam Principaliter pro suo interesse compareat, ad removendum utrumque & agentem & defendentem, agentem quidem, quem deducendo jus suum in tantum impedit, ut ulterius agere non possit; defendentem vero, seu reum, cogendo ipsum, ut rem petitam, non alii sed sibi restituat, *Menoch. lib. 5. Cons. 488. n. 8.* in numero adhærentium vix est ut esse possit, propter finem ac intentionem Adhæsioni repugnantem. Sive igitur sciverit, sive ignoraverit adhærens publicationem attestatorum, nihil Patrocinii tamen exinde sibi promittere valebit, sed indistinctè causam eô in statu, quô in eam offendit, accipere necesse habebit, *Petr. Frid. Mindan. cit. p. 3. sui Proc. cap. 9. n. 4. & 5.* Quinimò & ex alio Principio hujus probatio, peti potest, Dum enim principalis post publicatas attestationes novos testes producere prohibetur, quomodo Adhærenti, tanquam personæ accessoriæ plus licere possit? *Gail. alleg. Obs. 71. n. 17. 18. & 19.*

§. 10. Addidi præterea & illa verba: *Alterutri litigantium Tertius quidam, vel ipsi litigantes sibi invicem*, ut indigitarem subjectum Activum & Passivum, de quo utroque tamen inferius *cap. 4.* fusius agetur. Sequentia verba vero: *Ratione sui interesse*. Definitioni supervacaneè apposita haut sunt, Oportet enim ejus intersit, qui alteri parti adsistere vult, docendumque ante omnia de suo interesse, *Magnif. Brunnem. cit. cap. 13. n. 4.* ne fortè Tertii malitiâ ac nequitiâ, vel quòd is ad adsistendum instructus & inductus sit, durior reddatur alterius litigantis conditio, ipsumque

turbe-

turbetur judicium, *cap. si 11. contra. 2. X. ut lit. pend. nih. innov. in 6to. Petr. Frid. Mindan. de Proc. Lib. 3. cap. 8. n. 2.* Parum autem refert interesse sit publicum aut Privatum. Laudatus *Dn. Brunnem. cit. loc. n. 4.* Pecuniarium, vel quodcunque aliud, dummodo sit verum, quod juris authoritatem pro se habeat. *Mindan. alleg. loc. n. 3.*

§. II. Porro per verba: *In causa communi eâque controversâ, &c.* Denotatur materia circa quam seu Objectum, quod ita qualificatum esse debet, ut super Re seu causâ, ex quâ Tertio commune cum Actore vel Reo emolumentum vel damnum sperandum ac metuendum est lis jam dum sit mota, agitataque, vel saltem instituta; Debetque omninò idem esse negotium in Adhærentibus, & omnes æquè tangere, proin & diversitas & distinctio causarum adhæsionem non involvit, nec errabimus, si vulgatum illud, quod de Interventione circumferunt Interpp. ad Adhæsionem transferentes applicantesque dicamus. Adhæsio locum non habet si causæ sint diversæ & non eadem Decisionis ratio. *Carpz. in suo Proc. tit. 4. art. 2. n. 38.* idque tantò magis, quò patentius verum est, Interventionem se habere ad Adhæsionem ut causam, & Adhæsionem ad Interventioem ut effectum. *Petr. Frid. Mind. cit. lib. 3. cap. 8. n. 3.* Reliqua in definitione adhibita verba Demonstrant Adhæsionis finem, & affectum, de quibus *caput 6. & 7.* conceptum est.

Caput III.

Causam Efficientem indagabit:

§ I.

HOc modo explicatâ Definitione rectà progredimur ad causas. Commodè enim Divisionem in plures specie differentes adhæsiones vix ac ne vix quidem admittit Judiciaria nostra, quoniam, ut loqvuntur Logici, est species specialissima, quæ in alias species dividi recusat. Quapropter omnium primò efficientem Adhæsionis Judiciariæ causam indagabimus.

§. 2. Efficiens Remota sunt Constitutiones & Leges tàm Canonicæ, quam Civiles. Adhæsionem permittentes, eamq;, disponendo super eâ, omninò approbantes, *Gregor. IX. in cap. Olim. 26. X. de Accusat. Bonif. IIX. in cap. si II. contra. 2. ibi. Sanè si ad Defensionem ipsius litis aliqui, quorum intererit, petierint se admitti, eos in illo statu, in quo ipsam invenerit, decernimus admittendos, ut. lit. pend. nihil innovet. in 6to. cap. veniens. 38. in verb. opposuit, ibique Card. Florent. in 2. & 3. opposit. X. de Testibus argum. l. 63. in verb. Defensio. ff. de Re judic. l. 4. §. 2. l. 5. §. 2. & 3. ubi Dd. ff. de Appellat.* Et in specie quoad militarem Adhæsionem prostant, *txx. in cap. ad Apostolica. 2. de Sentent. & Re judic. in 6to. l. 3. verb. Adhærentes. C. de Discussorib. argum. l. 7. §. 1. ff.*

de

de Captiv. & postlim. revers. Usus vero ac necessitas videntur introduxisse, ut adhærendo Lites plurium eôdem judicio, unôque quasi momento tractarentur, Quâ iure & Juri Civili naturalem quoque rationem consentire quis haut ineptè statuerit, dum frustra fit per plura, quod expediri ac absolvi potest per pauciora *l.1.ff. quod. met. caus. l.2.ff. de Exercit. act. l.39.§.1. C.de Appellat. ubi Dd. commun.*

§. 3. Proxima Causa efficiens determinatur, ad lubitum & voluntatem, imò etiam non rarò ad coactionem ejus, qui alterutri litigantium in lite jam motâ & adhærere potest & vult, quique aliquando ad hoc nolens per Judiciale præceptum adigitur. Prioris membri veritas expeditè noscitur, si Tertius spontè venit ad causam ad invitandum reum conventum contra agentem, verba sunt *Angel. in l. si instituta 27. ubi & Gl.ff. de inoff. Testam.* dum tamen interesse suum, *l.19.C. de Lib. caus. l.4.§.2.ff. de Appellat.* cujus probationem *Mindanus* inter articulos præjudicales qui ante omnia terminari debent, reponit. *Lib.3. de Process. cap.8. n.2.* liquidò judici demonstraverit, ne à judicio excludi, vel ut malitiosus protrahens processumque retardare intendens. *Gail. lib.1. Obs.70.n.29.* repelli possit. *Carpzov. in suo Proc. tit.4. art.2.n.37. & seqq. Magnif. Dn. Crunn cit. loc. n.17.*

§. 4. Posterius hinc clarescit, quòd venditor ab Emtore denunciatus ad adsistendum vel potius defendendum, contra eum, qui rem venditam, evincere conatur, Item alio in casu, communem cum Titio hereditatem possidens, Titio super communi hereditate motâ quæstione, omnimodè coactè suscipiant

 defen-

defensionem, adsistant, litique motæ adhærere cogantur, nisi sibi ipsis præjudicare malint, adeoq; perspectum jam habemus, utroque hoc casu, non ultrò, aut liberâ agendi voluntate, sed arbitrio litigantis, puta denunciantis, vel intuitu præjudicii enascituri Tertium quandoque judicio interesse cogi. *l. 49. ff. de Judic.* quam hoc modo adduxit *Petr. Frider. Mind. sæpius cit. p. 3. cap. 8. n. 16.*

§. 5. Imò suggerit adhuc alium casum *Gailius lib. 1. Obs. 70. n. 27.* quem etiam perspecte animadvertit sæpiusculè jam allegatus *Dn. Brunnem. in suo Prot. cap. 13. n 1.* ubi Actor Tertium, interesse aliquod in causâ controversâ extra judicialiter jactantem, requisito super hoc ac imploratô Judicis officio, potest citari facere ad comparendum, Liti adsistendum, jusque suum deducendum, ut hoc modo lis cœpta unâ terminetur sententiâ. Quod dogma etiam Observatione Camerali confirmat, atque ut salutare Consilium cuilibet Actori recommendat.

§. 6. Parum autem refert, utrum is, qui principaliter in lite versatur, Tertio in suâ, adsistentiâ vel adhæsione ratione concurrentis interesse consentiat, vel reluctetur, Nullatenus enim ejusmodi principalis Adhærenti Tertio suâ noluntate præjudicare vel efficere poterit, quin eum invitum defendat. *text. clarus in l. 19. ibi. tunc Jure concesso, adito Præside provinciæ, eum invitum etiam defendere poteris. C. de Lib. caus. Gail. Lib. 1. Obs. 70, n. 7.*

CA-

Cap. IV.

Subjectum Tam Activum Quam Passivum sistet.

§. I.

SUbjectum Activum est quilibet non solum Tertius ratione communis interesse liti se immiscens causæque cum Principali agente vel defendente adsistenter & adhærenter se adsocians, *Gail. lib. 1. Obs. 70. n. 1.* sed & quandoque ipsi agentes invicem ratione interpositæ Leuterationis & Appellationis, de quo posteriori membro tamen commodius *in cap. sequenti De Objecto* tractabitur.

§. 2. Cumque ex numero permissorum sit Adhæsio, *argm. t. t. C. de Consort. ej. lit. ubi Dd. c. 2 ut lit. pend. in 6to.* Planum inde efficitur, quòd omnes adhærere possint, qui legitimam & capacem standi in judicio personam habent. *Magnif. Brunnem. in suo proc. cap. 13. n 3.* & non solùm ipsi Principales, sed etiam Tutores, Curatores & Procuratores nomine pupillorum, Minorum, & Dominorum principalium *Gilhaus. in arb. judic. Civil. cap. 5. ram. 2 n. 3.* Possunt vero in judicio consistere, qui aliquâ speciali prohibitione non repelluntur, *l. 28. §. 2. ff. ex quib. caus. Maj. l. 43. §. 1. ff. de Procur.* Quod ipsum cum à Juris Dd. in suis Commentariis & ipsis quoq; Processistis ex professo tractetur multis ambagib9 huc repetere nolumus ne lucem soli porrexisse, chartamque vulgariter prostantibus ac cuique

alias

alias obviis non citra legentum nauſeam adimpleſſe, noteмur, Remiſſuri B. L. *ad Vultej. in ſuo Tr. de Judic. Lib. 1. cap 5. Juſt. Meier. in Colleg. Jur. Argentor. tit. ff. de Judic. rubr. de Litigatoribus n. 91. & ſeqq. Umm. Carpzov. in ſuis procesſib. & alios.*

§. 3. Illud modò hic ſubjunctu viſum fuit perneceſſarium, num efficaciter Adhærere valeat Bannitus ſeu proſcriptus? Quamquæſtionem optimè videtur expediiſſe *Gailius Lib. 1. Obſ. 71. n. 5.* per Diſtinctionem, Utrum ſe: Actori, an Reo adhærendo ſe adſociet Bannitus, & ſiquidem Actori, quòd tunc ejiciatur ac removeatur à judicio tum quòd excommunicatus Actor perſonam ſtandi in judicio legitimam non habet, *cap. dilecti. 8. X. de Except. Juſt. Meier. in Colleg. Jur. Argentor. cit. loc. n. 91.* tùm quòd Excummicatio Jurisdictioni ponit obicem *cap. 1. de off. Vicar. in 6to.* tùm etiam, ne partes litigantes eô cum communicare cogantur in animæ ſuæ detrimentum, *Zaſ. in Comm. ff. de Judic. n. 23.* Excommunicatus vero hoc ipſo dum à communibus actibus excluditur, rubore ſuffuſus ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum facilius inclinetur *cap. Piâ conſideratione 1. de Except. in 6to.* Providè tamen Reus opponens Exceptionem Excommunicationis adhibeat medelam *ab Innoc. IV.* Papâ Romano contra ſucceſcentem litigantium malitiam quaſi morbum communem piè ſatis ac prudenter præſcriptam *in alleg. cap. pia conſideratione 1. de Exceptionibus in 6to.*

§. 4. Quod ſi vero Reo adhæreat Bannitus; tunc utique in judicio, per alium tamen reſpondens, *cap. 7. X. de judiciis.* erit tolerandus. Nemo enim à defenſione eſt arcendus, adeoque nec excommunicatus.

cap. Di-

cap. Dilectæ 10. ibi: Et cuilibet excommunicato defensionis auxilium competere dignoscatur, & cap. significaverunt. 11. ibi. Omnis legitima Defensio excommunicato in judicio reservetur, X. de Except. Satis enim videtur absurdum, si actore impugnante, Reo defensionis copia denegetur, quia sic condemnaretur, multoties absolvendus, inquit *Innoc. III. in cap. cùm inter 5. X. de Except.* Exinde est, quòd Interpp. Juris in tantum velificentur favori defensionis, ut non addubitent, ne bestiis quidem nedum homini, imo nec Diabolo, si possibile sit, in judicio conventis, vel accusatis Defensionem denegare, sed omni ex parte indulgere, prout hoc adducit *B. Dn. Carpzov. in Prax. Crim. p. 3. Quæst. 105. n. 5.*

§. 5. His præmissis descendendum est ad specialia, videndumque per subjecta Exempla quinam prohibeantur adhærere, quibusve concedatur. Et quidem adhærere nequeunt, qui proprium & separatum, imò planè distinctum interesse ab utroque litigante prosequuntur, Qui enim pro suo interesse comparent ac intercedunt insimul ipsi principaliter litigantes reputantur, nec ex alterius fortuna aut periculo dependent. *Mindan. lib. 3. de process. cap. 9. n. 5.* Nam hoc ipso quo utrumque litigantem submovere student, vix est ut adhæreant, ut se potius utrique in cœptâ lite opponant. Exemplum est *in l. 34. ff. Sol. Matrim.* ubi mulier divortium à marito faciens, ipsum de dote restituendâ convenit, sed muliari divortenti dotemque repetenti se opponit pater ipsius mulieris, & maritum non Mulieri, sed sibi ad restitutionem dotis condemnari petit, ac utrumque litigantem conatur vincere, Filiam, ne dos ipsi restituatur, Maritum, ne dotem retineat, sed sibi tanquam patri reddat.

§. 6. Sic

§. 6. Sic tertius interveniens Lite cœptâ inter Spoliatum & spoliatorem potest jure Dominii petere ut res controversa sibi restituatur, & hoc modo utrumque removere. *Jacob. Menoch. Vol.5. Cons. 488. n.10.* Pari modo si pro mariti debito fiat Executio in bona dotalia, Uxor se justè opponit. *l 15. §.4. ff. de Re Judic. l. 29. C. de J. dot. Magnif. Dn. Brunnem. in suo Proc. cap. 13. n.10.* In hisce & similibus casibus nulla est Adhæsio, quoniam partes litigantes separatum interesse adinvicem deducunt, reliquosque singuli submovere intendunt.

§. 7. Vice versâ autem illi rectè adhærent, quorum interesse liti motæ ita connexum & individuè cohærens est, ut alterius litigantis succumbentia adhærenti officiat, victoria vero prosit. *Petr. Frid Mindan. Lib 3. de Proc. cap 8. n.4.* Et hoc interesse Liti connexum in Adhærente consideratur vel per consequentiam, vel quodammodo Principaliter *Umm. in Process. suo Disp. 11. th.3. n.11.* Prioris generis Exempla occurrunt in Venditore, opponente se liti motæ contra Emtorem, eique adsistente, ne si succumbat Emtor, ipsi venditor teneatur de evictione. *l 49. pr. ff. de Judic. l 3. pr. & l.14. pr. ff. de Appellat. ubi Dd.* Porro & in Legatario, qui potest heredi Convento adsistere contra de inofficioso agentem ad sustinendum testamentum. Hoc enim si everteretur, ac rescinderetur, non solùm scripto heredi aufferretur hereditas, sed legatum quoque insimul amitteret Legatarius *l.8. §. pen. ff. de inoff. Test. Ludvv. Exercit. Inst 10. th.7. Lit. C. l. 29. ff. de inoff. Test. l.5. §.1. l. 14. pr. ff. de appellat. l.17. ff. de Injust. rupt. & irrit. test l. 1. C. de posth. her. instit. Jacob. Menoch. Vol.5. Cons. 488. n.4.* quamvis hodie ex communi sen-

tentiâ

tontiâ Legata non corruant corruente Teſtamento. *Nov. 115. c 3. Auth. ex cauſ. C. de lib. præter.* Quin & Legatarii & coheredes Heredibus vel coheredi adſiſtere poſſunt, ſi cauſam teſtamenti non ſatis accuratè defendant. *Mindan, de Proc. cit. loc. n. 8.* Idem obtinet, ſi fidejuſſor debitori adſiſtat. Una enim eademque Debitoris & fidejuſſoris cauſa eſt & ratio, *Cujac. in Parat. C. de Fidejuſſ.* Hinc etiam Exceptiones Debitoris ipſã obligationem concernentes, fidejuſſori quoque proſunt, *l f. C. de Fidej. l. 2. & pen. ff. de duob. reis. l 32. § pen. ff. de uſur. Dn. Carpz. in ſuâ Jprud. For. p. 1. C. 20. d. 15. n. 6 & 7.* Nec diverſum ſtatuitur in Marito ratione Dotis Uxori agenti & periclitanti ſubveniente. *Mindan. ſæpius cit. lib. 3. de Proceſſ. cap. 8. n. 7.*

§. 8. Poſterioris quoque generis exempla ubi quodammodo Principaliter Adhærentum intereſt, nec pauca præſtant. Si enim à Domino ſubditis iniqua & juri naturali contraria lex imponatur, ipſique eô nomine litem contra Dominum ſuum moveant, etiam vicini, quibus per hanc prohibitionem, e.g. molendinorum reditus ſubducuntur, ipſis adhærere, eosque ſimul defendere poſſunt, *Magnif. Dn. Brunn. cit. cap. 13. ſui Proc. n. 4.*

§. 9. Planè ſi Dominus Territorialis ſubditis ſuis lite in alio, quàm competente judicio ab aliquo pulſatis non adſiſtat, neque eos propter obtentum privilegium de non avocando, non arreſtando non collectando alteriusve intereſſe ratione defendat contra Turbatores, ipſe quoque tacendo patitur præjudicium in poſſeſſione vel quaſi ſui juris, quo Conventum ſibi ſubjectum habet, maxumè ſi ſententiâ contra eum lata tranſeat in Rem judicatam. *Felin. in*

cap. cum super.17. n.12. & seqq. X. de Re Judic. Gail. lib. 1. Obs.126. Et hoc modo principaliter etiam quodammodo intereſt Patroni ratione juris Patronatus, obſequii, operarum, quæ pereunt, ſi liberto in ſervitutem petito non adſiſtat Patronus. *l.19. C. de Lib. cauſ. l.3. verſ. nam etſi libertus meus. ff de Re judic.* Plura Exempla hinc inde ex LL. cumulari poſſent, niſi anguſtia paginæ nos ab ulteriori allegatione revocaret.

§. 10. Hiſce deductis, generaliter nunc ſubjiciendum ac monendum eſt, aſſiſtentem modo Actoris, modo Rei vices ſuſtinere, ſi enim intendat dari ſibi aliquid fieri ve oportere, actor eſt. *§.1. J. de Act.* Si vero nihil tale intendat, ſed cum Reo convento ſe ſuave defendat, tantummodo ac tueatur contra intentionem Agentis, reus erit. *argum. l.3 ff. de Probat. l.5. & 6. C. de Edend. cap. forus. 10. X. de Verb. ſignif.* Et ex hoc colligi facile poteſt, quodnam ſit ſubjectum Adhæſionis paſſivum, ſeu Quibus tertius adhærere poſſit, Omnibus nimirum, qui in judicio agendo vel defendendo litigant. Diſquirere vero de præſenti in litigaturientium conditionem extra metam inſtituti noſtri porrigitur, Quapropter etiam miſſis his, ad ulteriora nos convertimus, conſideraturi in.

Cap. V.

Objectum Adhæſionis

§. I.

HActenus de Subjecto, Perluſtrandum

dum jam venit Objectum, ubi tenenda regula: Quòd *non solum in causa civili, sed etiam Criminali ratione communis interesse procedat Adhæsio.*

§. 2. Et in causa quidem Criminali posse accusanti Defendenti & provocanti accedere & adhærere plures indubium planè est propter *l. 1. §. 1. junct. l. 3. 4. & passim ubi Dd. ff. ad L. Jul. de Adult.* Unde verificari quoque potest dogma *Julii Clari in §. f. quæst. 94. n. 4. vers. quæro numquid*, statuentis, quòd pluribus existentibus correis alicujus criminis, si ab uno interposita sit Appellatio, quæ omnes relevat, judex supersedere debeat excutione contra omnes. Quo spectat etiam, quod JCtus *Ulp. in l. 6. ff. de Appellat.* permittit cuique de populo pro ad supplicium ducendo provocare, de innocentiâ ejus docere, illumque contra supplicium defendere, videatur *Felin. in cap. cum venisset, 25. n. 4. X. de Testib.* non habitâ distinctione, utrum mandatum habeat, nec ne, & utrum necessaria & conjuncta sit persona, utrum non, idque humanitatis, ut inquit præcitatus JCtus. ratione, in tantùm, ut si vincat provocans, accusato quoque prosit victoria, sin vincatur, seu succumbat, ipsi accusato succumbentia præ omnibus sit nocumento.

§. 3. Nec quærimus, inquit ulterius jam adductus JCtus. cujus intersit. Ex quo quidem contra Definitionem nostram, ubi interesse communis probationem necessariò incumbere Tertio adfirmavimus, eumque non admitti citra illius ostensionem statuimus, aliquid in contrarium urgeri posset, nisi diceremus per INTERESSE eò loci intelligi pecuniarium duntaxat interesse vel consangvinitatis, ut secundum mentem JCti non quæramus, cujus vel pecuniariter, vel ratione

veræ cognationis intersit; Interesse enim Tertii in definitione nostrâ necessariò prærequisitum omninò hic vertitur, consistitque in *humanitate*, cujus ratione quilibet alteri benefacere debet, *l.1.§.3.ff. de comm. & per rei vend. l.7.ff. de serv. export.* seu *cognatione:* promiscuè enim hic sumi & accipi debent vocabula *Humanitatis & cognationis*, Namque natura cognationem quandam inter omnes homines constituit, *l. ut Vim.3. ff. de J. & J.* Ratione igitur hujus naturalis cognationis interesse provocantis tanquam in Notorio Naturæ ac juris consistens, satis deductum probatum, judiciq; non apparenter, sed existenter demonstratum in proposito casu creditur. *Mindan. lib 3. de processi cap. 8. n. 10. Gl. & Dd. ad l. 6. ff. de Appellat.* ut proinde definitioni datæ ex hinc nihil affingi, superflui firmiter possit.

§. 4. In civilibus causis obtinentia Adhæsionis minus est dubitabilis, quemadmodum etiam illam ex non minimâ parte cap. præcedens roboravit, adductis aliquot exemplis in Actione Emti venditi. Querela inofficiosi Testamenti, causâ Fidejussionis, Dotis, Iniquæ prohibitionis, Incompetentiæ Fori, status, &c. Quibus si opus foret, infinita addere & qs. succenturiare possemus, Generaliter enim verum est quod in quacunque actione, tám personali, quám reali & præjudiciali, ubi Tertius vel cum agente, vel Convento cummune aliquod interesse, quod ipsum sive per consequentiam, sive principaliter quodammodo concernit, habet ac docere potest, locus sit adhæsioni. Idque non solùm in primâ, sed etiam secundâ Appellationis instantiâ, *Gail. lib. 1. O. 122. per tot. Carpz. proc. Judic. tit. 4. art. 2. n. 25.*

§. 5. Cum vero rejecerimus in præcedentis

tis *cap. quarti* §. 1. Tractationem Adhæsionis à partibus litigantibus sibi invicem factæ, ad hoc *cap. 5*. Ideoque promissa hæc nostra de præsenti dabimus impleta. Sciendum autem est, quod adhæsio in secundâ Instantiâ interponatur vel ab ipsis litigantibus, vel à Tertio quodam. Si ipse litigans interpositæ ab Adversâ parte Appellationi Adhærere velit, videndum est, utrum Appellatio interposita sit generaliter, an vero à certis tantummodò articulis sententiæ sit provocatum. Priori casu rursum indagare oportet, num pars altera intra decendium verbis expressis Appellationi adhæserit, an vero illud omiserit.

§. 6 Quod si Appellatus non expressè intra decendium adhæserit Appellationi, nihilominus in justificatione gravamina sua, juraque antea non deducta deducere potest, nihil quicquam obstante, quod principaliter appellans non prosecutus fuerit Appellationem, quoniam Appellatio suspendit sententiam tàm quoad Appellantem, quàm quoad Appellatum ipsum. *Joach. Myns. Cent. 2. Obs. 21. per tot.* cùm sit beneficium utrique parti commune, *Gail. lib 1. Obs. 122. n. 3 & 4*. Id quod indistincte procedit, dummodo Appellantis Renunciatio ante emissam citationē factamq; alteri parti communicationē non intervenerit, quoniā Appellatio per citationem demum fit communis, Appellatoq; per hanc jus quoddam firmiter radicatum acquiritur, quod ipsi facto alterius interverti & auferri nec potest nec debet. *L. 11. ff. de R. J. Carpz in suâ Jprud. For. p. 1. C. 19. D 7. per tot.* Receptum est enim, ut effectus Adhæsionis non tollatur per Renunciationem vel desertionem Appellationis, nisi uno casu, quando sc. aliàs nulla esset

Appel-

Appellatio. puta, quando non interposita fuerit intra decendium. *Bl. in Auth. Hodie. C. de Appell. Felin. in cap. cum super. 17. n. 6. X. de sent. & Re judic. Natt. Lib. 1. Consf. 99 n. 1.*

§. 7. Si vero pars litigans expressè Appellationi adhæserit, tùm sive renunciaverit ante vel post emissam citationem, sive etiam eam deseruerit Appellans, nihil quicquam tamen præjudicii Adhærenti creabit, Is enim à tempore statim Adhæsionis jus consequutus est non minus ac si ipsemet appellationem debito tempore interposuisset, ut habet *Carpz. cit loc. def. 8. n. 6.*

§. 8. Posteriori casu, & quando unus ex litigantibus in certis tantummodo articulis sententiæ provocaverit, proderit quidem Appellato interposita Appellatio, sed tantum in illis capitulis, ob quæ provocatum est, Quoad alia vero planè diversa & separata, (in connexis & cohærentibus enim articulis ex continentiâ causæ & factorum separationē commodè non recipientibus aliud videtur dicendum. *l. 10. §. 4. ff. de Appellat. ubi Dd. t. t. C. si unus ex plur.* quia ejusmodi connexitas quandam generalitatem operatur, ut videatur appellans quodammodo totam sententiam suspendisse, *Carpz. in suo Proc. tit. 17. art. 2. n. 47.*) nequaquam per adhæsionem juvabitur; Nam in reliquis capitulis post effluxum decendium sententia transivit in Rem judicatam, cùm tot videantur esse sententiæ, quot sunt capitula, ex *Panorm. Felin. Ferrar. Andr. Gail. lib. 1 Obs. 110. n. 2.*

§. 9. Ideoque cautius hâc in re procedere videntur qui appellationi adversarii ad certa tantummodo capitula restrictæ expressè adhærent non modò, sed reliqua etiam sententiæ membra, in quibus se gravatos putant, adhæsionis schedulæ inserunt, ex quô istud

bene-

beneficii ipsis provenit, ut jura sua in prosecutione contra omnia sententiæ membra, quod aliàs ipsis haut licuisset, proponere ac deducere possint, *Carpz. alleg. tit. 17. art. 2. n. 49. qui fusius hanc materiam inibi pertractavit.*

§. 10. Solent & non rarò Patroni causarum, in punctis non majoris momenti, quibus tamen Clientulos suos quodammodo prægravatos volunt, interponere adhæsiones Appellationum Eventuales, ne in casu appellationis vel Leuterationis ab Adversario contra latam sententiam Judici oblatæ, aliquod detrimentum incurrant, additâ plerumque hâc clausulâ, quòd, si à parte adversâ sententia non suspendatur, nec ipsi porrectâ uti velint adhæsione, id quòd sæpius practicatum memini. Quæ jam diximus de Appellatione, ea omnia & in Leuteratione obtinere tenendum est, quoniam à pari procedunt, eôdemque gaudent jure. *Carpz. proc. Judic. tit. 4. art. 1. n. 33. & art. 2. n. 35.*

§. 11. Et hæc notanda videbantur circa Adhæsionem ab ipsis litigantibus invicem factam, Adhæsio vero Tertii in Appellationibus ac Leuterationibus præprimis consistit in duobus; Namque (1) Tertius vult pro suo interesse adhærere Actori vel Reo Leuteranti vel Appellanti, quô casu necessariò debet intra decendiū sub pœna inadmissibilitatis interpositam Appellationem ratihabere, & adhærendo alteri se associare. *Magnif. Dn. Brunn. cit. cap. 13. n. 11.* Cum enim actus agentium non operetur in aliis ultra eorum intentionem, sequitur inde nec Tertio prodesse litigantium Appellationem vel Leuterationem, si non debito tempore adhæserit, quæ eô modo suscepta Adhæsio peculiaris Leuterationis & appellationis vices sustinet, utpote quam quilibet gravatus intra decendium inter-

 pone-

ponère poteſt. *Gail. lib. 1. O. 122. n. 2. Carpz. in ſuo Proc. t. 4. art. 2. n. 28. & Jprud. for. p. 1. C. 19. d. 11. per tot.*

§. 12. Aut (2) vult ab alio interpoſitam Appellationem tantummodo proſequi, Appellantique adſiſtere, & tunc neque appellare, neque adhærere intra decendium præcisè debet, ſed ſufficit ſi in termino proſecutionis ſe adſociet Appellanti quamvis invito ac contradicenti, dummodo intereſſe ſuum & ſummariè docuerit, & à jure principalis ſeparatum haut eſſe oſtenderit. *Joh. Georg. Nicol. in Proc. Jur. part. 2. cap. 1. n. 11. Carpz. in ſuo Proc. cit. loc. n. 26.*

§. 13. Cæterum ſi quis Tertius pro ſuo intereſſe, partibus licet Principalibus ſententiæ acquieſcentibus à latâ provocet, in numero Intervenientium, non vero Adhærentium eſſe creditur, palàm eſt enim non ad adſiſtendum, ſed ad excludendum utrumque venire eum *Magnif. Brunn. cap. 13. ſui Proc. n. 11.* Et tantum hac vice de Objecto adduxiſſe ſufficiat. Pergendum ad ulteriora. Igitur.

CAP. VI.

Formam & Finem Demonſtrabit.

§. I.

FOrma Adhæſionis judiciariæ in certis quibusdam requiſitis cernitur: Ut enim Adhæſio obtineat, requiritur 1. ut cauſa controverſa à partibus litigantibus in judicium deducatur, vel dèducta jam ſit; Quemadmodum

enim

enim judicium nullum Ordinari ac constitui potest, nisi sint qui litigent, Actor nempe & Reus, quos suâ postmodum decisione judex componere satagit, *Carpz. in suo Proc. tit. 4. act. 1. & passim.* Ita quoque nulla adhæsio judiciaria commode à Tertio in favorem litigantis suscipi potest, nisi sint, inter quos lis agitetur, Est enim Adhærens persona quodammodo accessoria, quæ ratione Communis interesse in gratiam alterius assistendo vel defendendo intercedit, *Gail. l. 1. Obs. 71. n. 18. & 19. Mindan. de Proc. lib. 3. cap. 9. n. 5.*

§. 2. Cum itaque in adsistendo vel defendendo, occupetur Adhærens, necesse est, adsint, Litigatores, ex quibus uni vel alteri adsistere, & unum vel alterum defendere possit, Quod, cum Legaliter ubiq; accipiendum sit, facilè est collectu non esse adhæsionem hujus loci quando quis adstiterit ex justâ defensionis causâ Parenti, Fratri, vel consangvineo, ad internecionem usque ejus, qui cum armis ipsi insultaverit, de quo casu tractant. *Hippol. de Marsil. in Tr. de Fidejuss. n. 232. inf. Bl. in l. 3. de J. & J.*

§ 3. Præterea 2. requiritur ad formam Adhæsionis, ut de causâ controversâ participet tertius, deqne suô interesse pertinente & â causâ principali non alieno nec separato. *Magnif.*

Dn.Brunn. cap.13. sui Proc. n.5. & apparenter & existenter docere possit. Nam si inter Adhærētem & agentem vel defendentem non intercedat commune quid, ex quō adhærere possint, tunc interventio potius, quàm adhæsio est, & quidem talis, quâ & actorem & reum interveniens excludere ac planè submovere annititur. *Umm. in suo Proc. Jud. D.11, θ.4. per tot.* Habet enim is distinctam ab utroq; litigatore causam, propterquam utrique agenti se opponit, proque justiore petitore nón rarò habetur, Notum autem est ex suprà adductis, quòd adhæsio non permittatur, si inter agentem & tertiū sint causæ distinctæ & non idem negotium. Ex identitate igitur negotii seu causæ, quæ à principaliter litigantibus disceptatur, commune quoddam interesse Tertius habeat oportet, de quô antè non solùm apparenter, quam admittatur ad adhæsionem, docere, sed & ipsum interesse formatum ac reverâ existens esse debet.

§.4. Et docere quidem de interesse suo debet statim ac in continenti si admitti velit *Menocb. de arbitr. jud. quæst. lib.2. Cent.1. Cas.18. n.3.* ne si hoc omiserit, ut calumniator & malitiosus litigator, qui protrahere tantummodo causam studeat, repellatur. *cap. 2. ut lit. pend. in 6to. Gl. & Panorm. in cap. cum super 23. X. de off. jud. de-*

leg.

leg. Magnif. Brunn. in suo Proc. cap.13 n.fin. malitiis enim hominum indulgendum non est, *Gail. lib.1. Obs. 70. n.20.* Quomodo autem illud tempus probandi interesse sit interpretandum, num ad octo dies, num vero ad brevius vel longius spacium sit restringendum, ac extendendum, illud pertractat *cit. Menoch. alleg. loc.* judicisque arbitrio tribuit, ut possit ex causâ dilatare vel etiam coarctare, *n.4. & 5.*

§.5. Sufficit tamen si interesse suum summariè per unicum testem, vel per juramentum, vel per apparentē demonstrationem. *Magnif. Brunn. cit. cap.13. n.6.* imò præsumtivè tantum docuerit. *Carpz. in suo Proc. tit. 4. art. 2. n.42.* per rationem, quam tradit *Gail.* quòd probatio hâc in parte tantum sit præparatoria & præambula non vero decisoria, ubi ex communi Dd. calculo semi plena probatio sufficere possit, *lib. 1. Obs.69 n.4. & 5. Lodov. Gilhaus. in arbor Judic. cap.5. Ram.2 n.1. citatus Magnif. Brunn. d.n.6.*

§.6. Interesse autem quæstionis formatum ac reverà existens esse debet, nec incertum, vel à dubio eventu, casuque dependens, vel causam sui nec dum existentem habens, quale illud esset, quando Tertius adhærere vellet Sempronio *ἀτέκνῳ* (quia ei vel ab intestato succederet, vel aliàs spem successionis haberet) litiganti cū

Titio super hæreditate, multũq; ipsi de jure suo coactè, vel metu, vel etiam quòd litis molestias diutius proferre nolit, remittenti cedentiq;. Hic enim, cum nullum verum interesse demonstrare possit, tum quod viventis nō sit hæreditas *l.1 ff. de her. vel act. vend. Ludvv. Exercit ad Instit. 7. θ.1. lit. ε.* tum quòd spes successionis nullum tribuat jus vel in Re vel ad Rem, beneficio cujus litiganti Sempronio de jure suo quid remittenti vel cedenti possit defendendo adsistere, illamq; remissionem inhibere, non immeritò ut vitilitigator repellitur. *Mindan. sæpius alleg. l.3. c.8. n 8.*

§ 7. Ad formam quoq; Adhæsionis 3. pertinere videtur quæstio quomodo & quando. Adhærere etenim Tertius debet litiganti ipso facto, ita ut explicet mentem suam vel literis vel verbis, velle nim. Se adsistere alter utri partiũ, propter interesse, quod ipso cum commune habet, ne damnum, ex secuta fortè Principaliter agentis condemnatione, incurrat. Non tamen hæc declaratio omnimodo sufficiens, si non etiá concurrat actualis executio declarationis comparendo videlicet in quibus vis terminis, Principalibus in causa ad comparendum, juraq; sua vel oretenus vel inscriptis proponendum præfixis; Nec interest, in principio, medio ac fine litis Adhæreat, per ea, quæ habet *Gilhaus in arb.*

judic,

judic.cap 5. Ramus c.2. n.6. repetenda quoq; huc ea sunt, quæ supra *c.2. §.8.* hanc in rem adduximus, dum tamen causam in eô statu, quo tempore Adhæsionis reperitur, acceptet. *cap. fin. ut Lit. pend. in 6to. Menoch. lib 5. Cons. 488. n.6.*

§. *1.* Perspecta forma transimus ad finem Adhæsionis, qui potissimum fundatur in commodo publico, Publicè enim interest lites citius finiri, *Zæs. in Comm. ff. tit. de Usurp. & Usucap. n 4.* Quuod fit, quando unus pluresve, quorum interest, se agglomerant litiganti, causæq; decissionem in unô processu per sententiam latam expetun*t*, & in hòc coincidit cum effectu. Videri possunt hanc in rem ea, quæ sparsim *in præsenti Disputatione* sunt adducta. Properandum itaque ad.

Cap. VII.

De Effectibus Affinibus ac Contrariis Conceptum.

§. I.

EFfectus Adhæsionis sunt vel Negativi, vel Positivi; Negativi sunt sequentes, 1. Adhærés Judicem non potest ut suspectum recusare, nec 2. exceptionem dilatoriam, ab eô, cui adsistit, omissam, opponere, multo minus 3. novo belli-

libello vel novâ Litis Contestatione uti, neq; 4. post publicatas attestationes, aut ubi ipse Principalis ulterius procedere ac probare nequit, novos testes producere, vel ulteriores probationes facere, imo. 5. nihil planè, quod ipsi Principali non licet, in judicio proponere. Ipsius enim jus à jure principalis dependet nec distinguendum hic est utrũ sciverit an ignoraverit, Nam alterutri adsistens causam in eô statu accipit, in quô est, cum ad eam devenit. *Magnif. Brunn. sæpiusculè cit. c. 13. n. 15. ex alleg. Gail. Mynf. Berlich. &c.* adeoq; nec 6. processum sistere nec executioné sententiæ inhibere. videatur de singulis hisce *Umm. in Disp. ad Process. 11. θ. 3. n. 11.* ubi has consequentias autoritatibus & LL. sufficientissimè firmat.

§. 2. Positivi sunt. (1) quòd Publicatis nondũ attestatis Adhærens non allegata allegare, & nõ probata probare optimè possit. *Menoch. lib. 5. Cons. 488. n. 5.* (2) Adhærens in causa Principali non sit testis idoneus pro illo, cui adhæsit, tùm propter affectionem ad causam, tùm quia per Adhæsionem se facit partem, tùm quoq; quòd nemo in propriâ causâ pars & testis esse valeat. *cap. cupientes. de elect. & elect. potest. in 6to. Cc: in cap. olim. 26. X. de accusat. Aufre. in Tr. de testib. tom. 13. n. 6. Rota. Decis. 354.* Ad effectus quoque

Ad-

Adhæsionis (3) referri potest, quod Adhærens nō constituat tertium litigantem sed eôdem, quo est is, cui assistit, jure censeatur. *Beat. Carpz. Proc. Jud tit. 4. art. 2. n 4. ubi in num seq. 5to*, formulā, quomodo sentia concipi debeat, præscribit. Non ultimæ autem notæ ex omnibus jam recensitis (4) & iste est, quòd causæ plurium unô judicio, sententiâ sc. in utrumq; tam Adhærentem, quam eum cui adhæsio fit, vel cōdemnatoriâ vel absolutoriâ latâ terminentur ac decidantur, de quô passim in hâc Disputatione mentio facta est.

§. 3. Affinia Adhæsio habet varia: ex quorum numero primas tenet Intervētio. Qua de *Carpz. Umm. Mindan. Nicolai.* aliiq; qui in processib9 scribendis operam collocarunt videri possunt. 2. Adjacentia, quæ alicui Rei immobili cohærent, qualia sunt omnia illa, quæ cohærent fundo vel castro, dum np. in venditione factâ cum omnibus adjacentiis, pertinentiis ac cohærentiis, omnia, quæ sub earum denominatione veniunt, tradi debent. *Br. in. l. si quando. 3. C. de bon. vac. l. 41. §. 6 ff. de leg. 3. t. tit ff. de Inst. & Instr. legat. Hein. à Rosenth. Tr. de Feud, cap. 5 concl. 7.* Idemq; planè obtinet si fundus legatus sit cum instrumento hôc enim casu omne id, quod ad gignendos colligendos, transferendos vel con-

servandos fructus pertinet, puta boves, arata, ligones, falces, plaustra, corbes, dolia, testæ, tenticulæ, & quæ talia sunt, longa serie recensita à *Meiero in Coll. Jur. Argent. Tit. ff. de Instr. & Instrum. leg.* quorumque formulam legandi hunc fere in modum, **Ich vermache ihm das Guth zu** *N.* **sambt allen und jeden seinen zubehörungen**/ reddidit *Habn. in not. ad VVesemb. cit. tit. ff. de Instr. & Instrum. leg. n. 1.* legatum censetur, Instrumenta namque ista fundo ita arctè adhærent, ut eò alienato, ipsa quoque extincta putentur § *si quis ancillas 17. ubi Dd. passim. Inst. de legat.*

§. 4. Præterea Adhæsioni affinis 3. est Adjectio non solum Dominii, bonorum pignorum, familæ, sed etiam personarum ad obligationē, Adjectus enim dicitur, qui in Conventionibus ex partium voluntate vel promissoris, vel Creditoris vel suo commodo alternativè solutioni adjicitur *Dd: in l. 106. ff. de solut & lib. §. 4. J. de inut. stipul.* Item 4. Militaris illa adhæsio, quæ aliás Confœderatio dicitur. De quâ Jpubl. Conditores integros tractatus perscripserunt, Nec non 5. Concursus dnarum semiplenarum probationum Adhæsioni respondet, etsi enim singulæ plenè non probent, conjunctæ tamen constituunt probationem plenam per ea habet

Beat.

Beat. Carpz. proc. Jud. tit.13. art.3. n.11. 85. 86. 87. & 88.

§. 5. Denique 6. comparari cum adhæsione potest is casus, quô filio emancipato nequit quidẽ assignari libertus si solus sit §. *2. j. de assign. libert.* si vero concurrat cum non Emancipato seu integri juris eó casu assignatio rectè perficitur atque subsistit, *Ludvv. Exercit. Justin. 10. θ 5. lit. C.* Quod enim emancipatus per se habere nequit, illius concursu fratris in potestate retenti redditur particeps. *l. 9. ff. de assign. libert. Jul. Pac. in analys. Instit. ad cit. §. 2. de Assign. libert.* Possent quidem & alia de plurium actionum cumulatione causarumque lucrativarum concursu & aliis consimilibus Adhæsioni affinibus adduci, si necessitas id exposceret & angustia paginæ non resisteret.

§. 6. Tollitur Adhæsio 1. Contrariâ Adhærentis voluntate, puta si is, qui adhæsit, liti spontê renunciaverit ac jura sua prosequi nolit, dubitandum enim non est, quemvis juri ac favori pro se introducto renunciare posse *l. 46. ff. & l. pen. C. de pact. 2.* Contrariatur quoque Adhæsioni, si appareat non interesse adhærentis, *can. non solent. 30. caus. 2. quæst. 6.* vel interesse quidem sed principaliter tantùm; Non autem accessoriè. repete huc quæ proposita sunt *cap.*

præcedenti 6to. §.3. & seqq.3. Peremtoriè etiam Adhæsioni officit renunciatio partis, si sc. alter ex litigantibus provocaverit, reque adhuc integrâ h.e. ante emissam ac parti insinuatam citationem Appellationem revocaverit; *Carpz. Jprud. for. p. 1. C. 19. D. 8. per tot.*

§. 7. Sunt præterea & alia, quibus Adhæsio enervatur, quæ hac vice prætcrimus generaliter asserentes: Omnia perimere Adhæsionem, quæ Formam ejus destruunt.

§. 8. *A*tque hæc sunt, quæ de Adhæsione leviter ac nuditer deducere proposui; Quod si ergo quædam intacta aut omissa penitus deprehenderit B. L. non nobis, quibus animus non fuit integrum, cumque numeris omnibus absolutum Tractatum edere inputabit, sed communissimæ Observantiæ, styloque Academico, non integros Tractatus, sed Schemata tantùm materiarum ventilationi propositarum exposcenti transscribet.

TANTUM!